KAIBEL

—

PHILODEMI
EPIGRAMMATA

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVOM

ANNI MDCCCLXXXV

A DIE XV MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INSVNT

PHILODEMI GADARENSIS EPIGRAMMATA AB GEORGIO KAIBEL EDITA.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE

MDCCCLXXXV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

ERN. IVL. GVIELMVS SCHVPPE

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

PHILODEMI Gadarensis epigrammata ideo potissimum seorsim edenda existimavi ut elegantissimi poetae nomen ne diutius lateret tamquam obscuratum et oppressum vilissimorum epigrammatographorum multitudine, quorum carmina Philippus Thessalonicensis Meleagri exemplum secutus in coronae speciem composuit: neque enim florent illa venustate nec bene olent pleraque. Philodemi autem laudem cum ipsae reliquiae praedicant tum Cicero ingenii eius imaginem scite ac luculenter adumbravit notissimo orationis Pisonianae loco, unde haec transcribam (cap. 28 sq.):

est quidam Graecus (Philodemum dici dudum constat) *qui cum isto* (i. e. Pisone) *vivit, homo, ut vere dicam (sic enim cognovi) humanus, sed tam diu quam diu cum aliis est aut ipse secum: is cum istum adulescentem iam tum hac dis irata fronte vidisset, non fastidivit eius amicitiam, cum esset praesertim appetitus: dedit se in consuetudinem sic ut prorsus una viveret nec fere unquam ab eo discederet. Non apud indoctos, sed, ut ego arbitror, in hominum eruditissimorum et humanissimorum coetu loquor: audistis profecto dici philosophos Epicureos omnis res quae sint homini expetendas voluptate metiri, rectene an secus nihil ad nos, aut si ad nos, nihil ad hoc tempus; sed tamen lubricum genus orationis adulescenti non acriter intellegenti est saepe praeceps: itaque admissarius iste simul audivit voluptatem a philosopho tanto opere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnis incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinnivit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur. Graecus primo distinguere et dividere illa quem ad modum dicerentur: iste claudus, quem ad modum aiunt, pilam retinere; quod acceperat testificari, tabellas obsignare velle, Epicurum desertum dicere; etenim dicit, ut opinor, se nullum bonum intellegere posse demptis corporis voluptatibus. Quid multa? Graecus facilis et valde venustus nimis pugnax contra imperatorem populi Romani esse noluit; est autem hic de quo loquor non philosophia solum, sed etiam ceteris studiis, quae fere Epicureos neglegere dicunt, perpolitus; poema porro facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans nihil ut fieri possit argutius, in quo reprehen-*

eum licet si qui volet, modo leviter, non ut impurum, non ut improbum, non ut audacem, sed ut Graeculum, ut adsentatorem, ut poetam . . . rogatus, invitatus, coactus ita multa ad istum de ipso quoque scripsit ut omnis hominis libidines, omnia stupra, omnia cenarum conviviorumque genera, adulteria denique eius delicatissimis versibus expresserit, in quibus si qui velit possit istius tamquam in speculo vitam intueri: ex quibus multa a multis lecta et audita recitarem, ni vererer ne hoc ipsum genus orationis quo nunc utor ab huius loci more abhorreret, et simul de ipso qui scripsit detrahi nihil volo.

De ipsius Pisonis cenis victuque addo quae Cicero dixit eiusdem orationis c. 27, 67: *nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum (laudabo inimicum), quin ne magno opere quidem quicquam praeter libidines sumptuosum: toreuma nullum, maximi calices et ei ne contemnere suos videatur Placentini, exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida, servi sordidati ministrant, non nulli etiam senes, idem coquus, idem atriensis, pistor domi nullus, nulla cella, panis et vinum a propola atque de cupa, Graeci stipati quini in lectis, saepe plures, ipse solus: bibitur usque eo dum de dolio imo ministretur; ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat, mensam tolli iubet.*

Ex his si quis non de ingenio tantum sed etiam de vita moribusque Philodemi coniecturam fecerit, ipsis epigrammatis vix verendum est ne refellatur; si quis contra in his non tam Philodemi se quam Pisonis vitam tamquam in speculo intueri posse censuerit, auctorem habebit Ciceronem, cuius facunda indignatio quatenus in falsum res auxerit ego diiudicare non audeo. Non hominis volui sed poetae imaginem repraesentare.

Ad numerorum Philodemi elegantiam depingendam non multis opus est verbis; sufficient fere haec. Inter hexametros septuaginta novem bucolica caesura distincti sunt duodesexaginta, et ita quidem ut sexiens et viciens simul post tertium trochaeum, triciens bis post primam tertii pedis syllabam incideretur, semel (XVI 7) bucolicae antecedit spondeus. Qui bucolica caesura carent versus habent post tertium trochaeum caesuram omnes praeter tres semiquinaria incisos; desinunt hi versus aut in trisyllabum vocabulum aut in quadrisyllabum (vel bisyllaba duo), quorum utrumque deciens factum est. Paullo robustiorem versum unum admisit poeta (XVI 1) ἑξήκοντα τελεῖ Χαριτὼ λυκαβαντίδας ὥρας et nomine Charitonis et certo annorum numero coactus.

Addo unum quod non tam ad numeros quam ad verborum compositionem poeticam pertinet. Diphthongum vel vocalem longam insequente vocali in metris dactylicis corripi posse hoc pueri discimus. Sed quod etiam viri nec pauci neque indocti plane in universum omnibus omnium temporum poetis hanc licentiam placuisse opinantur, errant vehementer. Hanc quaestionem cum ipse accuratius ante hos novem annos tractare coepissem, iam Lehrsium vidi usum Nonnianum certioribus circumscripsisse finibus (quaest. ep. p. 264 sqq.), cuius exemplum qui imitatus sit novi neminem. Mihi nunc cum epigrammatum poetis res est, et exponam quam potero brevissime. Cum omnia quo angustioribus inter se vinculis continentur eo difficilius dirimuntur eoque facilius quo laxior est rerum necessitudo, tum hiatus omnium maxime is tolerabilis est qui post caesuram sive post sententiam terminatam admittitur. Eadem autem ione aegrius ferimus eum hiatum quo tertia ab secunda dactyli syllaba discinditur, quam

eum qui alterum ab altero pede dactylico seiungit; artius enim singulae dactyli syllabae quam singuli dactyli inter se cohaerent. Itaque factum est ut elegantiores numerorum artifices trochaico hiatu (velut εἴ που ἐφεύροι) versus continuitatem interrumpere vererentur, admitterent vero certis quibusdam locis dactylicum (velut γίγνεται ἐν πολέμῳ). Callimachus in versu pentametro ne unum quidem hiatum sibi permisit, si eum exceperis quem καί particula ante vocalem posita efficit; hanc enim voculam (propter usus crebritatem ipsiusque levitatem) omnibus fere de hiatu legibus exemptam esse docuit de Nonno agens Lehrsius l. s. s. p. 267. Qui praeterea legebatur hiatus trochaicus epigr. 62 ed. Wil. κεῖται ἐν Ὀρτυγίῃ cum probabili coniectura sustulit Wilamowitzius. In hexametris epigrammatum non plus quattuor hiatus dactylici exempla reperiuntur, duo ante caesuram bucolicam, duo in pede primo. Ex hymnis Callimacheis Palladis lavacrum distichis conscriptum proxime accedit ad epigrammatum rationem: semel in altera pentametri parte legitur χρίεται Ἡρακλέης. Quae ex reliquis carminibus elegiacis supersunt, in his si exceperis quae pravis coniecturis illata sunt nihil est quod repugnet. Epigrammatum et elegiarum easdem numerorum leges esse consentaneum est; si quaeramus igitur unde tantam Callimachus severitatem adsciverit, ad elegiacos poetas vetustiores nos convertamus oportet, Callinum dico, Archilochum, Tyrtaeum, Mimnermum, Solonem, quorum in reliquiis dactylici hiatus reperiuntur in hexametris quadraginta sex, e quibus in quarto pede ante caesuram bucolicam triginta quattuor, in quinto septem, in primo quattuor, in tertio unus (Solonis 4, 17), nullus in secundo pede [1]); in pentametris autem triginta septem, quorum ad priorem versus partem pertinent novem, ad alteram reliqui. Trochaici contra hiatus non plus octo exempla sunt omnia, in hexametri pede primo duo, in tertio ante caesuram duo, in quinto unus, in pentametri partis prioris pede primo duo, in eadem alterius sede unus. Non opus est reliquorum poetarum numeros enotare: eadem ratio est omnium. Quid igitur mirum, si Callimachus subtilissimus numerorum arbiter quod antiquiores vidit raro et parce admisisse id omnino tamquam vitiosum et illicitum expulit. Callimachi exemplo nihil commoti sunt qui vel illi aequales fuerunt vel Meleagro Gadarensi superiores; qui quidem etsi trochaico hiatu rarius quam dactylico utuntur minime tamen eum defugiunt. Primus videtur Meleager fuisse qui Callimachi usum observatum et perspectum imitaretur suaque auctoritate confirmatum sectatoribus vel sodalibus traderet. Habent igitur triginta fere et centum epigrammata quae Meleagri nomine feruntur, quattuordecim in caesura bucolica hiatus dactylicos ita ut desinant correptae syllabae duae in ω (ἐγώ et ὁρῶ), duae in ου (Μελανιππίδου et Νικαινέτου), reliquae autem decem verborum formae sint in -ει sive in -αι exeuntes. Primi hexametri pedis tres numerantur hiatus dactylici, quinti unus (A. P. IX 16 γλυκυπάρθενοι Ὧραι). In pentametris numeri Meleagrei ita hiant ut aut prioris aut alterius partis primus dactylus verbi forma sit in -ει sive in -αι desinens, excepto uno prooemii versu 52, ubi ipsa rei difficultate excusatus scripsit Φαιδίμου Ἀνταγόρου τ'. Trochaici hiatus omnino duo nunc leguntur exempla, alterum A. P. XII 53 ἤν που ἐπ' ἠιόνων Κῴαν κατὰ νᾶσον ἴδητε Φανίον εἰς χαροπὸν δερκομέναν πέλαγος, quod corrigere non audeo, alterum

1) vel hinc apparet perversam esse Bergkii coniecturam nuper denuo propositam in Solonis fr. 27, 9 πέμπτῃ δ' ὡρίου ἄνδρα γάμου μεμνημένον εἶναι, ubi rectissime traditum ὥριον.

A. P. V 198 corrupte in codice sic scriptum οὐκέτι σοι φαρέτρη πρ . ω . . εν πτερόεντας οἰστοὺς κρύπτεις, Ἔρως; legunt cum Brunckio κρύπτει, Ἔρως, perperam ut nunc patebit, quamquam meliora non sunt in promptu. Difficilius est de Antipatro Sidonio iudicium, cuius nomine non raro ea epigrammata inscripta sunt quae certis ac necessariis de causis Antipatro Thessalonicensi attribuenda sunt. In eis tamen quae aut certo Sidonii poetae sunt aut saltem dubitari potest ad utrum sint referenda hiatum ante bucolicam hexametri incisionem nullum invenio (nam carmen ieiunum A. P. VII 30 etiam aliis de causis Thessalonicensi reddendum est), in primo pede tria vel quattuor exempla sunt dactylica; in priore pentametri parte unus, in altera tria, ad antiquiorum similitudinem omnia (A. P. VII 23 χρίμπτεται εὐφροσύνα, VII 146 μύρομαι ἑζομένα, VII 467 λείπεται ἄμμι κόνις). Trochaicos hiatus non minus sex editores Antipatro iniunxerunt, quos tamen omnes aut aliis poetis reddendos aut emendatione tollendos esse demonstrabo. Aliena sunt ab Sidonii poetae elegantia aptaque Thessalonicensis ingenio epigrammata quattuor A. P. VII 30. 246. 303. 745 (cf. comment. in honorem Th. Momms. p. 334), ut vitiosos hiatus (οὐδ' Ἀίδης οἱ ἔρωτας, Ἰσσοῦ ἐπὶ προμολῇσιν, Ἰνοῖ ἀνοικτίρμων, αἵ τοι ἵκοντο) non iam curemus. Corruptum versum A. P. VII 164 ad correctoris fidem certa ratione restitui Hermae XV 462 (ἔλθοι δ' ὀλβίστην pro ἔλθοι ἐς ὀλβίστην); item, ut iam Iacobsius perspexit, corrupta est lectio A. P. VI 47 εἶπε δέ 'Χαῖρε θεὰ καὶ τήνδ' ἔχε· χήρη ἐγὼ γὰρ τέσσαρας εἰς ἐτέων ἐρχομένη δεκάδας ἀρνεῦμαι τὰ σὰ δῶρα, ubi Iacobsius coniecit καὶ τήνδ' ἔχε κερκίδ'· ἐγὼ γαρ κτλ'. Apparet igitur Antipatrum hiatu dactylico rarissime usum esse, trochaico autem plane abstinuisse. Non minus parcus huius licentiae Philodemus est, qui in bucolica caesura semel scripsit (infra ep. XIX 3) πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης θρὶξ ἤδη, semel in priore pentametri parte (ep. II 6) βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ, bis in altera πῦρ τύφεται ἐγκρύφιον (VI 4) et ἄγγελοι ἡλικίης (XI 4). Mirum est quod non scripsit XI 6 τύφεται ἐν κραδίῃ sed τύφετ' ἐνὶ κραδίῃ, quod quidem traditum est. Adiungam denique his Apollonidam Smyrnaeum Philodemi aequalem, de quo dixi infra ad ep. XI 4. Eius epigrammata unum et triginta numero etsi valde differunt inter se et argumentis et bonitate (alia enim nativa quadam simplicitate laudabilia, aliorum et res et verba de triviis collecta nullius sunt pretii), tamen numerorum versuumque ars una est et aequalis, rarissimo contenta hiatu dactylico, trochaico diligenter ubique evitato. Meleagri eum carmina legisse uno videtur exemplo demonstrari posse. Alcaei Messenii versum de Homero Ieta (A. P. VII 1) ὀλβίστη νήσων πόντῳ Ἴος imitatus est Meleager de Tyriorum urbe haec dicens (A. P. XII 256) ὀλβίστη νήσων ἱερὰ Τύρος eademque de Coorum (XII 56) ὀλβίστη Μεροπων ἱερὰ πόλις, utrumque propter pulcrorum puerorum copiam. Apollonides autem dum Leonem Rhodium Paridi et Ganymedi pulcritudine comparandum praedicat respondit Meleagro eademque laude etiam Rhodiorum insulam dignam esse ait his verbis μακαρτάτη ἔστ' ἄρα νήσων καὶ Ῥόδος (XVI 49): sic demum καί particula molesta olim visa Iacobsio recte intellegi poterit. Itaque ab Meleagro etiam versuum artem didicisse videtur Apollonides.

I Anthol. Palat. V 46 Φιλοδήμου.

α. Χαῖρε σύ. β. καὶ σύγε χαῖρε. α. τί δεῖ σε καλεῖν; β. σὲ δέ; α. μήπω
τοῦτο φιλοσπούδει. β. μηδὲ σύ. α. μήτιν' ἔχεις;
β. αἰεὶ τὸν φιλέοντα. α. θέλεις ἅμα σήμερον ἡμῖν
δειπνεῖν; β. εἰ σὺ θέλεις. α. εὖγε· πόσου παρέσῃ;
β. μηδέν μοι προδίδου. α. τοῦτο ξένον. β. ἀλλ' ὅσον ἄν σοι
κοιμηθέντι δοκῇ, τοῦτο δός. α. οὐκ ἀδικεῖς.
β. ποῦ γίνῃ; α. πέμψω. β. καταμάνθανε. α. πηνίκα δ' ἥξεις;
β. ἣν σὺ θέλεις ὥρην. α. εὐθὺ θέλω. β. πρόαγε.

V. 2 φιλόσπουδος et μήτε σύ codex; μηδέ recte iam Duebnerus, alterum ego correxi. Verbum enim requiri docent puellae verba quae secuntur μηδὲ σύ; itaque quae alii temptaverunt missa faciam. Multa sunt similia verba recentiore litterarum graecarum aetate ficta velut φιλοθεωρεῖν, φιλοθηρᾶν, φιλογραμματεῖν, φιλοκοσμεῖν, φιλομυθεῖν, φιλογραφεῖν, φιλομουσεῖν (πεφιλομουσήκασιν ipse Philodemus de mus. p. 17 fr. 30, 3 ed. Kemke) alia — 6 sq. verba οὐκ ἀδικεῖς· ποῦ γίνῃ; πέμψω vulgo uni iuveni tribuuntur, quod ut pugnat cum quaesita colloquii arte ita ipsis verbis ποῦ γίνῃ refellitur. Haec enim sic ut solet explicari non posse (*ubi habitas?* vertit Duebnerus) apertum est: immo quod differunt inter se ἐν Χίῳ εἶναι et ἐν Χίῳ γίγνεσθαι (Herod. V 33), ἐκεῖ εἶναι et ἐκεῖ γίγνεσθαι (cf. Aristid. or. 23 I p. 447 D. ὡς δὲ ἐγενόμεθα οὗ ἡ Ἀγαθὴ Τύχη καὶ ὁ Ἀγαθὸς Δαίμων ἐπιστάντες κτλ'.), idem plane interest utrum ποῦ εἶ dicas an ποῦ γίγνῃ. Quaerit igitur meretricula *ubi eris, quo te conveniam, ubi cena apparabitur*, cf. infra n. XXIII οὔτ' ἐν ἀπόψει γινόμεθα; poterat eadem quaerere ποῦ γίγνεται vel γενήσεται scil. τὸ δεῖπνον. Traditae lectionis genuitatem tuetur eiusdemque falsam interpretationem praeivit is poeta cuius epigramma Anth. Pal. V 308 traditum est hoc lemmate τοῦ αὐτοῦ (i. e. Antiphili) ἢ μᾶλλον Φιλοδήμου, ut dubitari nequeat poetae nomen ignotum fuisse. Ipsum autem carmen hoc est:

Ἡ κομψή, μεῖνόν με· τί σοι καλὸν οὔνομα; ποῦ σε
ἔστιν ἰδεῖν; ὃ θέλεις δώσομεν· οὐδὲ λαλεῖς;
ποῦ γίνῃ; πέμψω μετὰ σοῦ τινα· μή τις ἔχει σε;
ὦ σοβαρή, ὑγίαιν'· οὐδ' ὑγίαινε λέγεις;
καὶ πάλι καὶ πάλι σοι προσελεύσομαι· οἶδα μαλάσσειν
καὶ σοῦ σκληροτέρας· νῦν δ' ὑγίαινε, γύναι.

Etiam in proximis Philodemi verbis interpretandis imitatorem videmus lapsum esse, si quidem πέμψω illud ita expressit πέμψω μετὰ σοῦ τινα; Philodemus enim quid voluerit apparet collatis Machonis versiculis apud Athenaeum servatis XIII p. 583 c Νικὼ λέγεται, — Πύθωνος — μεταπεμπομένου ποθ', ὡς ἔοικ', αὐτήν, λέγειν πρὸς τὸν μετιόντα παῖδα κτλ.' Nudo *mittendi* verbo similiter usus est Martialis VI 51 *irascor licet usque voces mittasque rogesque.* Difficiliorem denique imperativum καταμάνθανε imitator quia non intellexit sicco pede transiit. Puella ita videtur respondere ut iuveni domicilium indicet; nam hoc illi cognito opus erat, ut mitteret. Poterat autem indicare aut eo modo quo apud Terentium (Adelph. 571) Syrus Demeae sci-

scitanti respondet: *nostin porticum apud macellum hac deorsum* e. q. s., quae ratio epigrammatis brevitati minime apta foret, aut, quod iam Iacobsius suspicatus erat, monstravit quaerenti tesseram nomine habitaculoque inscriptam. Verbum autem καταμάνθανε idem significat, quod apud graecos comicos ξυνές vel ἄκουσον (dicunt autem μανθάνεις; et μανθάνω), apud romanos *audi* vel *ausculta* vel *scies* vel *serva* esse solet.

II Anth. Pal. XII 173 Φιλοδήμου. Difficile est dictu quo errore carmen in Stratonis Musam puerilem delatum sit.

Δημώ με κτείνει καὶ Θέρμιον, ἡ μὲν ἑταίρη,
  Δημονόη δ' οὔπω Κύπριν ἐπισταμένη·
καὶ τῆς μὲν ψαύω, τῆς δ' οὐ θέμις· οὐ μὰ σέ, Κύπρι,
  οὐκ οἶδ' ἣν εἰπεῖν δεῖ με ποθεινοτέρην.
Δημάριον λέξω τὴν παρθένον· οὐ γὰρ ἕτοιμα
  βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον.

V. 1 sq. ad codicis fidem legebatur ἡ μὲν ἑταίρη Δημώ, ἡ δ' οὔπω κτλ.', quod correxi Hermae vol. XV 459. Verbum κτείνειν eodem sensu positum quo apud Euripidem Hippol. 1064 τὸ σεμνὸν ὥς μ' ἀποκτείνει τὸ σόν — 3 ψαύειν coniecit Wilamowitz probabiliter. Verbum rei proprium est, cf. Soph. Trach. 564 ὅς κἀμὲ — φέρων ἐπ' ὤμοις, ἡνίκ' ἦν μέσῳ πόρῳ, ψαύει ματαίαις χερσίν, similiterque Romani *tangendi* verbo utuntur, cf. Terent. Adelph. 686 *virginem vitiasti quam te non ius fuerat tangere* et Ovid remed. 783 *nam sibi quod nunquam tactam Briseida iurat* — 5 sq. sententiam multifariam exercitatam paucis exemplis inlustrabo. Xenophon Hieron. I 30 οὐ γὰρ τῶν ἑτοίμων ἥδεται ὁ ἔρως ἐφιέμενος, ἀλλὰ τῶν ἐλπιζομένων; Callimachus pulcrum de Epicyde venatore epigramma, qui ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν διφᾷ καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος στείβῃ καὶ νιφετῷ κεχαρημένος, ἦν δέ τις εἴπῃ 'τῆ, τόδε βέβληται θηρίον' οὐκ ἔλαβεν, hoc acumine distinxit χοὐμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ γὰρ φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται (ep. 31 ed. Wil.), quod vertit (praeter Horatium loco notissimo sat. I 2, 105 sqq.) Ovidius amor. II 9, 9 *venator sequitur fugientia, capta relinquit, semper et inventis ulteriora petit* et melius idem amor. II 19, 36, quod carmen totum in hoc argumento versatur, *quod sequitur fugio, quod fugit ipse sequor.* Philodemi versiculum ad verbum vertit Ovidius amor. III 4, 25 *quidquid servatur cupimus magis* (cf. etiam art. am. III 601 *incitat et ficti tristis custodia servi — quae venit ex tuto minus est accepta voluptas*); ad Xenophontis similitudinem propius accedit Petronius cap. 15 *nolo quod cupio statim tenere nec victoria mi placet parata.* Etiam in Aristaeneti epistulis non raram hanc esse sententiam breviter memorasse sufficit.

III Anth. Pal. V 115 Φιλοδήμου.

Ἠράσθην Δημοῦς Παφίης γένος· οὐ μέγα θαῦμα·
  καὶ Σαμίης Δημοῦς δεύτερον· οὐχὶ μέγα·
καὶ πάλι Ναξιακῆς Δημοῦς τρίτον· οὐκέτι ταῦτα
  παίγνια· καὶ Δημοῦς τέτρατον Ἀργολίδος.
αὐταί που Μοῖραί με κατωνόμασαν Φιλόδημον,
  ὡς αἰεὶ Δημοῦς θερμὸς ἔχει με πόθος.

V. 8 πάλιν ὑτιακης codex Palat., ut tamen teste Paulsseno incertum sit septima littera τ fuerit an σσ an π an ϛ; Ἀσιακῆς Planudes. Utique adiectivum videtur ex rariore eorum genere fuisse, de quibus Stephanus Byzantius p. 16, 16 ed. Mein. ἀπὸ τῶν ἐθνικῶν ἐθνικά, ὡς τοῦ Ῥοδίου τὸ Ῥοδιακὸς κτητικὸν καὶ Σαμίου τὸ Σαμιακός. Improbabilia sunt quae excogitaverunt interpretes Ὑπιακῆς Chardon, Ὑσσιακῆς Boissonade, αὖτ' Ἰακῆς Iacobsius; nam ut alia taceam non poterat poeta, si subfrigidi lusus aliquam saltem probabilitatem esse voluit, ad nomina parum nota et nimis longe petita confugere. Itaque Ναξιακῆς scripsi, quod si cui libuerit poterit Planudis fide firmare; gentile quidem Ναξιακός non magis novi quam Ἰακός vel Αἰγυπτιακός, sed possessivo saltem adiectivo Naxiacorum scriptores usi sunt — 6 ἔχει Planudes, ἔχοι codex Pal. Priorem lectionem iure commendavit Boissonadius ad Nicetae Eugeniani I 164.

IV Anth. Pal. V 123 Φιλοδήμου.

Νυκτερινὴ δίκερως, φιλοπάννυχε, φαῖνε, Σελήνη,
φαῖνε δι' εὐτρήτων βαλλομένη θυρίδων,
αὔγαζε χρυσέην Καλλίστιον· ἐς τὰ φιλεύντων
ἔργα κατοπτεύειν οὐ φθόνος ἀθανάτῃ.
ὀλβίζεις καὶ τήνδε καὶ ἡμέας, οἶδα, Σελήνη·
καὶ γὰρ σὴν ψυχὴν ἔφλεγεν Ἐνδυμίων.

V. 2 similis est Asclepiadis versus A. P. V 153 δι' ὑψιλόφων φαινόμενον θυρίδων et comparari potest etiam Alcaei Messenii versiculus (Anth. Plan. 8) δι' εὐτρήτων φθεγγόμενος δονάκων; nam sic potius hic scribendum cum Brunckio quam cum Meinekio διὰ τρητῶν (traditur aut hoc aut δι' ἐντρήτων) -- 3 αὔγαζε non est *adspice*, ut apud Diotimum Milesium A. P. V 106 εἶδος ἐσαυγάζων μοῦνον γλυκύ, sed *inlustra*, id quod probat adiectivum χρυσέην. Male igitur intellexisse hunc locum videtur Nicetas Eugenianus VIII 119, cuius verba eo magis adscribam, quod unus ille ex recentioribus est, quod equidem sciam, qui Philodemi carmina legerit; ille igitur sic scribit: σὺ γοῦν, Σελήνη, γλαυκοφεγγὴς ὀλβία ἄθρει, ποδήγει, φωταγώγει τὸν ξένον Ἐνδυμίων ἔφλεξε καὶ σὴν καρδίαν — 4 ἀθανάτη codex, corr. Iacobs -- Attulit Iacobsius similia quaedam Ovidii verba, quae ille Leandrum fecit scribentem (heroid. XVII 61): *hanc ego suspiciens 'faveas dea candida' dixi 'et subeant animo Latmia saxa tuo; non sinit Endymion te pectoris esse severi, flecte, precor, vultus ad mea furta tuos'*. Sed Ovidium Philodemi carmen imitari voluisse non adfirmaverim.

V Anth. Pal. V 25 τοῦ αὐτοῦ. Praecedit epigrammation in Heliodoram puellam, Philodemi quidem nomine inscriptum et in codice Palatino et in Planudea sylloge, Meleagro tamen sine dubio tribuendum. Hinc etiam hoc quod sequitur ambigi poterit num sit Philodemi.

Ὁσσάκι Κυδίλλης ὑποκόλπιος εἴτε κατ' ἦμαρ
εἴτ' ἀποτολμήσας ἤλυθον ἑσπέριος,
οἶδ' ὅτι πὰρ κρημνὸν τέμνω πόρον, οἶδ' ὅτι ῥίπτω
πάντα κύβον κεφαλῆς αἰὲν ὕπερθεν ἐμῆς.
ἀλλὰ τί μοι πλέον ἐστίν; ὁ γὰρ θρασὺς ἠδ' ὅταν ἕλκῃ
πάντοτ' Ἔρως ἀρχὴν οὐδ' ὄναρ οἶδε φόβον.

Quae ab Cydillae amplexu metuit pericula poeta, ea sunt sine dubio quae Ovidius (am. II 19) tamquam exigit ab nimis facili et lenone marito, qui ut difficiliorem reddat adultero aditum iubetur *iam prima claudere nocte forem.* Cydillam non solum vespertinus sed etiam diurnus adit amator, quod cum sine dubio periculosius fuerit participium ἀποτολμήσας non ad alterum solum membrum sed ad utrumque ἀπὸ κοινοῦ referendum est. Periculi magnitudo duplici imagine repraesentatur, quod videtur imitatus esse Ovidius art. am. I 375 sqq., dum quaerit an ad dominam potiundam prosit violare ministram: priore loco (376) *talibus,* inquit, *admissis alea grandis inest,* altero (381) *non ego per praeceps et acuta cacumina vadam nec iuvenum quisquam me duce captus erit.* Volgarem aleae imaginem pulcre exornavit graecus poeta; nam audacius est aleam retro super caput iacere, ut quo ceciderit nec possit scire ille nec velit sciscitari. Ita amator Venerem iecerit an canem, salvus sit an capitis periculum subeat non curat nec respicit — 5 πλέον ἔστι γὰρ θρασύς codex; ut versum expleret Planudes οὖν post γάρ addidit inepte. Iacobsius olim τί μοι πλέον ἐστίν; ἄγαν θρασύς, postea τί γάρ; θρασύς, quod cum facillimum videretur placuit Duebnero. At non solum languidum ac frigidum esse illud τί γάρ; sed etiam pugnare cum usu poetarum exempla docebunt: Asclepiades A. P. V 85 φείδῃ παρθενίης· καὶ τί πλέον; οὐ γὰρ ἐς Ἅιδην ἐλθοῦσ' εὑρήσεις τὸν φιλέοντα, κόρη, Theocritus qui creditur ep. 6 ed. Ziegl. (A. P. IX 432) ἆ δείλαιε τὺ Θύρσι, τί τὸ πλέον, εἰ καταταξεῖς δάκρυσι διγλήνους ὦπας ὀδυρόμενος; οἴχεται ἁ χίμαρος, τὸ καλὸν τέκος, οἴχετ' ἐς Ἅιδαν ... αἱ δὲ κύνες κλαγγεῦντι· τί τὸ πλέον, ἁνίκα τήνας ὀστίον οὐδὲ τέφρα λείπεται οἰχομένας; Alcaeus Messenius de Amore querens A. P. V 10 τί πλέον εἰ θεὸς ἄνδρα καταφλέγει; Diotimus A. P. VII 261 τί πλέον εἰς ὠδῖνα πονεῖν, τί δὲ τέκνα τεκέσθαι; μὴ τέκοι ἢ μέλλει παιδὸς ὁρᾶν θάνατον. Adde multo recentius Thessalonicense epitaphium ab Gregorio Campsico descriptum A. P. VII 340 ἀλλ' οὐδὲν πλέον ἔσχε· τί γὰρ πλέον ἀνέρι κήδευς μούνῳ ὑπὲρ γαίης οἰχομένης ἀλόχου; vides duplicata interrogandi figura, quae quam molesta sit quivis sentit, neminem usum esse. Itaque ὁ γὰρ θρασύς scripsi: *protervus enim Amor et si quem rapit metum omnino nescit.* Fateor aliquando haesisse me in copula ἠδέ, cuius quam rarus sit apud poetas Graecos usus satis constat; quod tamen conieceram οὐδ' ὅταν ἕλκῃ falsum est propterea quod sic non πάντοτε sed πώποτε dicendum fuerat poetae, quodque praeterea in mentem venit ὁ γὰρ θρασύς, ἢ δ' ὅταν ἕλκῃ πάντοτ' Ἔρως κτλ.' eo nomine displicet quod non mulier sed deus amantem trahit. Itaque ἠδέ particulam ferendam eo magis existimo, quod de poeta non satis constat. Invenitur autem ἠδέ apud Theocritum singulis exemplis in Ptolemaeo in Hierone in Dioscuris in Hercule leonicida, quae omnia epicae indolis sunt carmina, apud Moschum quater, apud Bionem nusquam; apud Callimachum tria tradita sunt exempla in tertio hymno omnia, e quibus unum (III 155) de coniectura sustulit Wilamowitzius. In epigrammatis, quod magis ad rem pertinet, omnino abstinuerunt particula vere epica cum Callimachus eiusque aequales tum Meleager (facile enim excusatur unum prooemii exemplum A. P. IV 1, 40 ἠδὲ Πολυκλείτου), Antipater Sidonius, vetustiores denique omnes: nam rhetorum turbam artis stilique incuriosam, Crinagoram dico, Philippum, Antipatrum minorem, M. Argentarium poetarum numero eximo. Excipienda hac lege paucissima restant exempla, unum incertum Alcaei Messenii A. P. XI 12 οἶνος καὶ Κένταυρον, Ἐπίκρατες, οὐχὶ σὲ μοῦνον ὤλεσεν ἠδ' ἐρατὴν Καλλίου ἡλικίην, ubi equidem requiro οὐδ' ἐρατὴν Κ. ἡ.,

alterum Niciae Milesii (qui omnino dum cum Theocrito apud Coos moratur medicis magis quam poeticis studiis operam videtur dedisse) A. Plan. 188 ἀμάρακον ἠδ' ὑάκινθον, tertium Leonidae Tarentini A. P. VI 211 quartumque Phalaeci A. P. VI 165, haec duo inter se simillima; utrumque enim carmen in docto quodam eius generis argumento versatur, quod ab ipso Leonida ut videtur conditum et ab illo potissimum excultum eo spectat ut multa variaque rerum vestimentorum instrumentorum nomina eaque rara et quaesita coacerventur; huius autem rei difficultati facile condonandum est si quis minutiores orationis elegantias minus curaverit. His exemplis unum accedit Philodemi vel quisquis fuit Cydillae amator. Audaciam Amoris similem descripsit Posidippus A. P. V 213 εἰπὲ δὲ σημεῖον, μεθύων ὅτι καὶ διὰ κλωπῶν ἦλθον Ἔρωτι θρασεῖ χρώμενος ἡγεμόνι.

VI Anth. Pal. V 124 τοῦ αὐτοῦ i. e. Philodemi. Licet tamen dubitare; carminis indoles antiquior mihi videtur esse.

Οὔπω σοι καλύκων γυμνὸν θέρος, οὐδὲ μελαίνει
βότρυς ὁ παρθενίους πρωτοβολῶν χάριτας,
ἀλλ' ἤδη θοὰ τόξα νέοι θήγουσιν Ἔρωτες,
Λυσιδίκη, καὶ πῦρ τύφεται ἐγκρύφιον.
φεύγωμεν, δυσέρωτες, ἕως βέλος οὐκ ἐπὶ νευρῇ·
μάντις ἐγὼ μεγάλης αὐτίκα πυρκαϊῆς.

V. 1 plane similiter qui locutus sit scio neminem; Philodemum expressit Nicetas Eugen. I 88 ὅταν γὰρ αὕτη (i. e. sol), καὶ καλῶς οὕτως ἔχει, μέσον καλύκων φλεκτικῶς ἐπεισβάλῃ, γυμνοῦσιν αὗται τὴν ῥοδόπνοον χάριν. Neque eis quae secuntur similia comparare possum, sed imago et pulcra et perspicua *necdum uva maturuit* (velut saepius ὄμφαξ dicitur puer vel puella nondum adulta et ἀσταφίς quae iuventutem egressa est virgo) *vix primis tamquam radiis maturitatis nitens* (nam ut solet dici ἀκτῖνας βάλλειν, sic hoc loco τὰς πρώτας χάριτας βάλλειν) — 3 sq. Amoris tela ἔμπυρα τόξα vocat Meleager A. P. XII 48, nec solum τόξα sed etiam πυρσόν deus dicitur iactare — 5 versus exordium in mentem revocat pulcerrimum Asclepiadis epigramma (A. P. XII 50), cuius quartum distichon quamvis multis coniecturis temptatum nondum suam invenit salutem; tradita inde a versu quinto haec sunt:

πίνωμεν Βάκχου ζωρὸν πόμα· δάκτυλος ἀώς·
ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν:
πίνομεν οὐ γὰρ ἔρως· μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλύν,
σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.

Concedendum necessario etiam v. 7 πίνωμεν scripsisse poetam, iteratum hoc per anaphoram ex v. 5, qua re coniectandi licentia artissimis coercetur finibus: corrigendum videtur πίνωμεν, δυσέρως, itaque ut sententiae indoles (ἕως ἔτι πίνειν καιρός ἐστιν), ita ipsa verba Philodemi carmini adaequata erunt. Qua re probata etiam de tertio Asclepiadis versu certius iudicari poterit, ubi quod traditum legitur οὐδ' ἐπὶ σοὶ μούνῳ κατεθήκατο τόξα καὶ ἰοὺς πικρὸς Ἔρως recte Boissonadius κατεθήξατο emendasse videbitur collato Philodemi versu tertio. Accedit denique quod etiam Lysidicae nomen ex Asclepiadis epigrammate A. P. V 203 adscitum est. — 6 πολλῆς

pro μεγάλης Planudes; cf. Platonis in Archeanassam epigramma (quod A. P. VII 217 Asclepiadae tribuitur) apud Athenaeum XIII 589 c ἐρασταί — πρωτόποροι (πρωτοπόρου Ath.) δι' ὅσης ἤλθετε πυρκαιῆς.

VII Anth. Pal. V 107 Φιλοδήμου, cuius quin sit epigramma dubitari nequit. Planudi tamen ἄδηλον est.

'Γινώσκω, χαρίεσσα, φιλεῖν πάνυ τὸν φιλέοντα,
 καὶ πάλι γινώσκω τόν με δακόντα δακεῖν·
μὴ λύπει με λίην στέργοντά σε μηδ' ἐρεθίζειν
 τὰς βαρυοργήτους σοι θέλε Πιερίδας.'
ταῦτ' ἐβόων αἰεὶ καὶ προὔλεγον· ἀλλ' ἴσα πόντῳ
 'Ιονίῳ μύθων ἔκλυες ἡμετέρων.
τοιγὰρ νῦν σὺ μὲν ὧδε μέγα κλαίουσα βαΰζοις,
 ἡμεῖς δ' ἐν κόλποις ἥμεθα Ναιάδος.

V. 1 sq. adespoton est distichon A. P. XII 103 οἶδα φιλεῖν φιλέοντας· ἐπίσταμαι ἤν μ' ἀδικῇ τις μισεῖν· ἀμφοτέρων εἰμὶ γὰρ οὐκ ἀδαής, quod propter rudiorem dicendi artem antiquiori potius poetae quam recentiori Philodemi imitatori tribuendum videtur; cf. Archilochi fr. 65 et Musonius apud Stobaeum flor. I 304 Mein. σκοπεῖν ὅπως ἀντιδήξεταί τις τὸν δάκνοντα (l. δακόντα) καὶ ἀντιποιήσει κακῶς τὸν ὑπάρξαντα — 7 βαΰζεις Plan. — 8 ημεραι. αϊαδος codex, ἥμεθα νηιάδος Planudes. Puellae nomen sive fictum sive verum sine dubio Ναΐς fuit (cf. epigr. sequentis v. 8); poeta eam ludibundus simulque versus necessitate coactus *Naiadem* fecit.

VIII Anth. Pal. X 21 Φιλοδήμου.

Κύπρι γαληναίη, φιλονύμφιε, Κύπρι δικαίων
 σύμμαχε, Κύπρι Πόθων μῆτερ ἀελλοπόδων,
Κύπρι, τὸν ἡμίσπαστον ἀπὸ κροκέων ἐμὲ παστῶν,
 τὸν χιόσι ψυχὴν Κελτίσι νιφόμενον,
Κύπρι, τὸν ἡσύχιόν με, τὸν οὐδενὶ κωφὰ λαλεῦντα,
 τὸν σέο πορφυρέῳ κλυζόμενον πελάγει,
Κύπρι φιλορμίστειρα, φιλόργιε, σῷζέ με, Κύπρι,
 Ναιακοὺς ἤδη, δέσποτι, πρὸς λιμένας.

Miror interpretes qui poetam putant vix inito matrimonio Romani alicuius hominis comitem in Galliam (navi scilicet) profectum esse putant. Non membra sed animum riguisse, non Thyrreno sed Veneris mari iactatum se dicit Philodemus; cf. Petron. c. 19 '*ego autem frigidior hieme Gallica factus nullum potui verbum emittere* et Meleagri epigr. A P. XII 167 ἀλλά μ' ἐς ὅρμον δέξαι τὸν ναύτην Κύπριδος ἐν πελάγει. Ex magna igitur aliqua calamitate, qua per Veneris mare navigans afflictus est, salvos redire cupit in certiorem Naidis portum; quid acciderit ei narrat ipse v. 3, vix coepto opere ab thalamo se vi pulsum esse: παστοὶ autem κρόκεοι cum meretriculae cubilia dici non possint, sequitur ut in adulterio eum deprehensum domo eiectum intellegamus, cf. supra n. V.

V 1 δικαίοις Planudes, quod cum per se vituperabile non sit (cf. epigr. graec. 807, 7), hoc tamen loco probari non potest — 3 κροκαίων codex — 5 animo se semper placido fuisse praedicat neque unquam vaniloquum, semper Veneris sacris se operatum esse; hinc ne nunc quidem deae auxilio indignum esse, ne nunc quidem vana se precari crederet illa. Male opinor Brunckius κοῦφα λαλεῦντα coniecit — 7 φιλόργιος si est Venus ipsa curabit ut portum capiat poeta; nam peracta demum feliciter navigatione τὰ τῆς Ἀφροδίτης ὄργια celebrari possunt — 8 ναικακούς (teste Salmasio) vel ναιηακούς (teste Paulsseno) codex; Ῥωμαικούς Planud. Post multos errores pulcre correxit Iacobs — δεσπότη codex.

IX Anth. Pal. V 4 Φιλοδήμου.

Τὸν σιγῶντα, Φιλαινί, συνίστορα τῶν ἀλαλήτων
λύχνον ἐλαιηρῆς ἐκμεθύσασα δρόσου
ἔξιθι· μαρτυρίην γὰρ Ἔρως μόνος οὐκ ἐφίλησεν
ἔμπνουν· καὶ πηκτὴν κλεῖε, Φιλαινί, θύρην.
καὶ σὺ φίλει, Ξανθώ, με· σὺ δ', ὦ φιλεράστρια κοίτη,
ἤδη τῆς Παφίης ἴσθι τὰ λειπόμενα.

V. 1 λύχνον συνίστορα apud graecos poetas crebrum romani complures imitati sunt, in quibus Philodemo simillimus Martialis apophoretorum XXXIX *dulcis conscia lectuli lucerna: quidquid vis facias licet, tacebo* — 4 πυκτήν codex, corr. Brunckius — 5 φίλη (supra scripto ει) ξανθῶ με codex — φιλεράστρι' ἄκοιτις codex, corr. G. Schneider et Lennep. Extremum distichon imitatus est Ovidius art. am. II 703 *conscius ecce duos accepit lectus amantes: ad thalami clausas, Musa, resiste fores*, et probabile est etiam notissimum Ovidii versiculum *cetera quis nescit* ex Philodemi imitatione natum esse.

X Anth. Pal. V 131 Φιλοδήμου.

Ψαλμὸς καὶ λαλίη καὶ κωτίλον ὄμμα καὶ ᾠδὴ
Ξανθίππης καὶ πῦρ ἄρτι καταρχόμενον,
ὦ ψυχή, φλέξει σε· τὸ δ' ἐκ τίνος ἢ πότε καὶ πῶς,
οὐκ οἶδα· γνώσῃ, δύσμορε, τυφομένη.

De vi artis musicae egit ipse Philodemus de mus. libro quarto, ubi pugnans cum Diogene Babylonio stoico philosopho postquam in universum haec posuit (p. 65 ed. Kemke) οὐδὲν μέλος, καθὸ μέλος, ἄλογον ὑπάρχον ψυχὴν οὔτ' ἐξ ἀκινήτου καὶ ἠσυχαζούσης ἐγείρει καὶ ἄγει πρὸς τὴν κατὰ φύσιν ἐν ἤθει διάθεσιν, οὔτ' ἐξ ᾀττούσης καὶ φερομένης πρὸς ὅτι δήποτε πραΰνει καὶ εἰς ἠρεμίαν καθίστησιν, amorem quidquam ab illa arte adiuvari negat p. 69 οὔτε βοηθεῖται διὰ μουσικῆς καὶ ποιητικῆς ἔρως, ἀλλ' ὑπὸ τῶν πλείστων καὶ τοῖς πλείστοις ἐκκάεται. Mulierum autem moribus tantum abesse ut quidquam inde utilitatis accedat, ut verendum potius sit, μή ποτε πολλὴν ἀφορμὴν διδῷ πρὸς ἀκολασίαν καὶ ἀταξίαν βακχεύουσαν (p. 70), similiaque fusius persequitur p. 78. Omnino autem non aliam vim esse musices quam τέρψιν καὶ ψυχαγωγίαν saepius contendit (cf. p. 76). — V. 3 verbis ἐκ τίνος explicandis Iacobsius adhibet Propertii versus II 4, 19 L *quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus, unde tamen veniant tot mala, caeca via est*, quae in re diversa non omni ex parte apta sunt. Poeta animum amore adhuc intactum fingit nesciumque

repentinae perturbationis docere recusat (οὐκ οἶδα); ardoris causa brevi tempore apertum fore ad quemnam auctorem referenda sit, ad Amorem scilicet deum; cf. infra n. XIX ἀλλ' ἐμάνην· ἐκ τίνος; οὐχὶ θεοῦ;

XI Anth. Pal. XI 41 Φιλοδήμου, sed ἄδηλον apud Planudem.

Ἑπτὰ τριηκόντεσσιν ἐπέρχονται λυκάβαντες,
ἤδη μοι βιότου σχιζόμεναι σελίδες,
ἤδη καὶ λευκαί με κατασπείρουσιν ἔθειραι,
Ξανθίππη, συνετῆς ἄγγελοι ἡλικίης,
ἀλλ' ἔτι μοι ψαλμός τε λάλος κῶμοί τε μέλονται
καὶ πῦρ ἀπλήστῳ τύφετ' ἐνὶ κραδίῃ·
αὐτὴν ἀλλὰ τάχιστα κορωνίδα γράψατε, Μοῦσαι,
ταύτην ἡμετέρης, δεσπότιδες, μανίης.

V. 2 nova videtur vitae cum libro comparatio *iam mihi vitae paginae dimidiatae sunt;* hinc commode explicantur versus 7. 8 — 3 omisit Planudes facili errore — 4 eadem sententia utitur alio loco (infra n. XIX) θρὶξ συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης, eandemque spectat Apollonides A. P. XI 25, 6 ἡ συνετὴ κροτάφων ἅπτεται ἡμετέρων, qui poeta origine Smyrnaeus (cf. lemma ad Anth. Plan. 235) non diversus videtur ab philosopho stoico in Philodemi catalogo Herculanensi memorato (ed. Comparetti p. 80 col. LII): Ἀπολλωνίδης Σμυρναῖος. Hunc scimus Catonis Uticensis amicum, Philodemi igitur aequalem fuisse, de versuum eius arte vide supra pag. VI — 5 ψαλμὸς λάλος i. e. ψαλμὸς καὶ ᾠδή, cf. quae dixi ad n. X — 6 an τύφεται ἐν κραδίῃ scribendum? cf. supra pag. VI — 7 Xanthippam cupit ultimam suam curam esse; dicendi genus sine dubio ab Meleagro sumptum A. P. XII 257, ubi loquitur ἁ πύματον καμπτῆρα καταγγέλλουσα κορωνίς (cf. etiam Martialis ep. XI *si nimius videor seraque coronide longus esse liber*), similique imagine usus Philodemus περὶ θανάτου ed. Gomperz Hermae vol. XII 225 extr. οἱ δὲ φρενήρεις inquit κἂν διά τινος αἰτίας ἀναγκαίας ἀνυπονόητοι γένωνται τοῦ τάχ' ἤδη συγκυρήσειν τὴν τοῦ βίου παραγραφήν. Cumulata pronomina αὐτήν (v. 7) et ταύτην (v. 8) offensui fuerunt Iacobsio et Heckero, quorum ille v. 8 κυρτήν coniecit languidum orationi ornamentum imponens, Heckerus vero utrubique αὐτήν scribendum proposuit. Mihi nihil vituperandum videtur; poeta enim *senesco* inquit *et tamen Xanthippae amore uror, ut tot aliarum antea: at hanc certe ipsam precor ultimam, Musae, esse sinatis* — 8 male ni fallor post ταύτην distinxerunt editores, ut μανίης genetivus penderet ab nomine δεσπότιδες.

XII Anth. Pal. IX 570 Φιλοδήμου.

Ξανθὼ κηρόπλαστε, μυρόχροε, μουσοπρόσωπε,
εὔλαλε, διπτερύγων καλὸν ἄγαλμα Πόθων,
ψῆλόν μοι χερσὶν δροσιναῖς μύρον· 'ἐν μονοκλίνῳ
δεῖ με λιθοδμήτῳ δή ποτε πετριδίῳ
εὕδειν ἀθανάτως πουλὺν χρόνον.' ᾆδε πάλιν μοι,
Ξανθάριον, ναὶ ναί, τὸ γλυκὺ τοῦτο μέλος.

Interpretes etiam nunc dubitantes puellam adloquatur poeta an apim magis possimae priorum editorum coniecturae deceperunt quam ipsa qualia tradita sunt Philodemi verba. Praedicatur Xanthippae forma vv. 1 et 2: facies candida ac pura tamquam de cera facta, frons altus et gravis tamquam Musae, os facundum, cutis unguenta redolens, Amorum denique deliciae vocatur, sicut Hesperus apud Bionem IX 2 κυανέας ἱερὸν Νυκτὸς ἄγαλμα est, vel puella (epigr. graec. 511) κλεινὸν ἄγαλμα dicitur, vel iuvenem defunctum κάλλος ἔχοντα κλώσασαι μοῖραι πέμψαν ἄγαλμ' Ἀίδῃ (ibid. 36; sumptum hoc ex Pindari Nem. X 67). — V. 1 ξανθοκηροπλαστε codex, corr. Huschkius — 3 ψιλον μοι codex, in margine adscriptum η; corr. Iacobsius. Quae subsecuntur χερσὶν δροσιναῖς μύρον recte sine dubio Dindorfius explicavit *manibus unguentum rorantibus*, sed difficile erit Philodemi audaciam idoneis exemplis excusare (diversa enim sunt μικκὸς μᾶκος, εὐῶδες τὴν ὀσμήν alia, cf. Lobeck paralip. 528), excusandus autem erit poeta analogiae nimium tribuens ea maxima re quod cum potuisset μύρῳ scribere, tamen ne hoc quidem hiandi genus admittere sustinuit. Manus suave olens ubi chordas tangit, etiam τὸ μέλος suave erit ac dulce (v. 6); similiter quadamtenus Callimachus Gratias advocans ἔλλατέ νυν, inquit, ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπώσας χεῖρας ἐμοῖς, ἵνα μοι πουλὺ μενοῦσιν ἔτος (fr. 121 Schn.). Poeta paene quadragenarius amorum captus satietate non tam vitae cupit quam sollicitudinum finem; cf. n. XIX. Verba quae secuntur ipsius sunt quam desiderarat ille cantilenae, ut tamen nihil opus sit v. 4 σε scribere pro με — 4 δέ ποτι codex, δήποτε Huschkius; sed praestat fortasse iterato verbo δεῖ ποτε. Vocabulum πετρίδιον nomen esse, non adiectivum moneo contra interpretes — 5 adverbium ἀθανάτως ad εὕδειν verbum referunt odoranturque Epicuri doctrinam derisam; clamat vero ratio grammatica ut cum adiectivo πολύς coniungamus. Sed fateor hoc dicendi genus facilius germanici quam graeci sermonis exemplis inlustrari posse; nos enim quae dicere solemus *furchtbar gross, riesig hoch, ewig lange*, haec simillima sunt, dissimillima vero quae graeca collegit Lobeckius paral. p. 58 κακὰ κακῶς, περισσὰ περισσῶς, λαμπρὸς λαμπρῶς, in quibus adverbio non adiectivum augetur sed verbum. Similiora ab Blassio collecta invenies ad Aeschinis sermonem saepe humiliorem inlustrandum (hist. eloq. att. III 198), qui cum dicere soleret δεινῶς ἀσχημονεῖν, δεινῶς ἀγνοεῖν, δεινῶς σχετλιάζειν (uti Antiphanes fr. 129 ed. Kock ἀγρίως γε scil. ἐσθίω κωπᾶδας), tamen non eo usque audaciae progressus est ut etiam δεινῶς ἀσχήμων sim. diceret. Huius autem δεινώσεως pauca exempla promi possunt ex cotidiani sermonis copiis qualem comici poetae expresserunt, velut Alexis de vino dixit fr. 167 Kock καὶ μάλα ἡδύς γ', ὀδόντας οὐκ ἔχων, ἤδη σαπρός, λέγων (vocabulum corruptum) γέρων γε δαιμονίως, Antiphanes fr. 202 οὐ πρᾶγμα τρυφερὸν διαφερόντως ἦν ἰδεῖν, Metagenes fr 2 νῦν γὰρ πεινῶν δεινῶς πώς εἰμ' ἐπιλήσμων. Sentio tamen haec omnia non attingere Philodemi suavem elegantiam — Post v. 6 hoc distichon in codice legitur:

οὐκ ἀίεις, ὤνθρωφ' ὁ τοκογλύφος; ἐν μονοκλίνῳ
δεῖ σε βίου ἀεί, δύσμορε, πετριδίῳ,

ubi codicis vitia οὐ καὶ εἰς ἀνθρωφοτοκονλυφος Salmasius et Chardo correxerunt. Hos versus ab Philodemo alienos esse demonstravi Hermae vol. XV p. 460; interpolator tam recentis est aetatis, ut nunc Chardoni credam eum scripsisse δεῖ σε βιοῦν ἀεί.

XIII Anth. Pal. XI 34 Φιλοδήμου.

Λευκοΐνους πάλι δὴ καὶ ψάλματα καὶ πάλι Χίους
οἴνους καὶ πάλι δὴ σμύρναν ἔχειν Συρίην
καὶ πάλι κωμάζειν καὶ ἔχειν πάλι διψάδα πόρνην
οὐκ ἐθέλω· μισῶ ταῦτα τὰ πρὸς μανίην
ἀλλά με ναρκίσσοις ἀναδήσατε καὶ πλαγιαύλων
γεύσατε καὶ κροκίνοις χρίσατε γυῖα μύροις
καὶ Μιτυληναίῳ τὸν πνεύμονα τέγξατε Βάκχῳ
καὶ συζεύξατ' ἐμοὶ φωλάδα παρθενικήν.

Interpretes in hoc carmine explicando a vero omnes aberraverunt. Taedet poetam vitae adhuc inter meretrices et psaltrias peractae, respuit vina sertaque caput aggravantia, unguenta nimis pretiosa, amorem mercede emptum, vagas commissationes; cupit coronam nuptialem, hymenaeum petit, virginem denique uxorem.

V. 1 et 2 πάλι δεῖ codex, correxit Vossianum apographum — Cf. Philonidae medici verba ex libro περὶ μύρων καὶ στεφάνων servata apud Athenaeum XV 675 e λευκόιον (λευκόινον Dind.) δὲ κινητικὸν ὄντα κεφαλῆς καὶ ἀμαράκινον καὶ ἅπαντας τοὺς καροῦν δυναμένους ἢ βαρύνειν ἄλλως κεφαλὴν περιστατέον — Chium vinum dulce et validum, compotando minus aptum quam Caecubum cf. Hor. epod. IX 33, pretiosum praeterea, cf. infra n. XXII; apud Anaxandridem comicum (fr. 41 Kock) Cotys Iphicrati genero dotem dedit δύο μὲν ξανθῶν ἵππων ἀγέλας αἰγῶν τ' ἀγέλην — — Χίου τε πρόχουν, idemque poeta (ibid. v. 34) τί γὰρ ἐλλείπει, inquit, δόμος ἡμέτερος ποίων ἀγαθῶν; οὐ σμύρνης καὶ (fort. ἐκ) Συρίας ὀδμαί κτλ'. — 3 ἔχει codex, corr. Brunck — διψάδα πόρνην explicat Ovidius am. I 8, 2 Philodemi fortasse memor *est quaedam nomine Dipsas anus; ex re nomen habet: nigri non illa parentem Memnonis in roseis sobria vidit equis* — 5 narcisso et croco tinctas vestes Veneri dedit Cypriorum poeta (Athen. XV 682 e); consulto poetam coronas narcissinas et unguenta crocina selegisse non audeo affirmare, sed hoc moneo saepissime thalamum κρόκεον vel κροκόεντα dici — 5. 6 πλαγιαύλων γεύσατε si re vera scripsit poeta (dubitavit de lectionis integritate Iacobsius) satis audacter fecit; quod plane sit simile nihil habeo — 7 *innocentis pocula Lesbii* (Hor. carm. I 17, 11) poscit; Mitylenaeum eam ob causam vinum dicit quod Alcaei versiculum imitatur; accedit itaque etiam Philodemi testimonium ad tuendam veram in Alcaei fragmento (39) lectionem τέγγε πνεύμονα Fοίνῳ — 8 intellegunt φωλάδα παρθενικήν duce Iacobsio meretricem e lupanari; sed nunquam audivi illic virgines ali, sed nunquam φωλεός lupanar est, sed nunquam συζεῦξαι dixerunt Graeci de meretricio concubitu; cf. Meleager ep. A. P. V 177 Amorem quaerens κεῖνος, ἰδού, περὶ φωλεόν· οὔ με λέληθας, τοξότα, Ζηνοφίλης ὄμμασι κρυπτόμενος. Ab hoc nomine (vel potius ab φωλός nomine pridem antiquato) derivatum adiectivum φωλάς ea est quae in cubili iacet; apud Philodemum hoc loco praedicati vices tenet, ut supra n. IV 3 αὔγαζε χρυσέην Καλλίστιον: *facite ut virgo mecum cubile sive thalamum ingrediatur.*

XIV Anth. Pal. V 121 τοῦ αὐτοῦ i. e. Φιλοδήμου.

Μικκὴ καὶ μελανεῦσα Φιλαίνιον, ἀλλὰ σελίνων
οὐλοτέρη καὶ μνοῦ χρῶτα τερεινοτέρη
καὶ κεστοῦ φωνεῦσα μαγώτερα καὶ παρέχουσα
πάντα καὶ αἰτῆσαι πολλάκι φειδομένη·
τοιαύτην στέργοιμι Φιλαίνιον, ἄχρις ἂν εὕρω
ἄλλην, ὦ χρυσέη Κύπρι, τελειοτέρην.

V. 1 φιλέννιον codex, sed recte v. 5; utrubique recte Planudes – μικρή non audeo conicere, etiamsi μικκός doricae dialecto proprium est; etiam Asclepiades A. P. XIII 23 videtur hac forma usus esse ἰὼ παρέρπων μικκόν (cod. μικρόν), εἴ τι κἀγκονεῖς, ἄκουσον, qui quidem manifesto imitatur Theocritum V 66 ἴθ' ὦ (ἰὼ Ahrens) ξένε, μικκὸν ἄκουσον -- μελανεῦσα non idem ac μέλαινα, non *nigra*, sed *fusca*, et talem fingamus oportet etiam Callimacheum illum τὸν μελανεῦντα Θεόκριτον — 2 καὶ ἀμνοῦ Planudes; verum vindicavit Iacobsius, qui et relicum dicendi genus tam luculenter inlustravit, ut nihil possim addere — 4 cf. Ovid. rem. am. 321 *quam multum poscit amantem: haec odio venit maxima causa meo.*

XV Anth. Pal. V 132 τοῦ αὐτοῦ i. e. Φιλοδήμου.

Ὢ ποδός, ὢ κνήμης, ὢ τῶν ἀπόλωλα δικαίως
μηρῶν, ὢ γλουτῶν, ὢ κτενός, ὢ λαγόνων,
ὤμων, ὢ μαστῶν, ὢ τοῦ ῥαδινοῖο τραχήλου,
ὢ χειρῶν, ὢ τῶν μαίνομαι ὀμματίων,
ὢ κατατεχνοτάτου κινήματος, ὢ περιάλλων
γλωττισμῶν, ὢ τῶν † θυεμε' † φωναρίων·
εἰ δ' Ὀπικὴ καὶ Φλῶρα καὶ οὐκ ᾄδουσα τὰ Σαπφοῦς,
καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἠράσατ' Ἀνδρομέδης.

Miror Iacobsium qui putabat hoc Philodemi carmen obversatum esse Horatio cum satirarum locum toto caelo diversum scriberet (I 2, 90 sqq.); magis miror quod non vidit Ovidium (quem ipse excitat) celeberrimae Amorum elegiae locum I 5, 19 sqq. ad Philodemi exemplum instituisse:

quos umeros, quales vidi tetigique lacertos,
forma papillarum quam fuit apta premi,
quam castigato planus sub pectore venter,
quantum et quale latus, quam iuvenale femur —
singula quid referam: nil non laudabile vidi,
et nudam pressi corpus ad usque meum.

V. 2 ὤμοιν codex; ὦ ab initio addidit Iacobsius, non recte opinor – 5 κακοτεχνοτάτου Planudes, idemque etiam Palatinus liber in Automedontis spurcissimo carmine A. P. V. 129 τὴν κακοτέχνοις σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων, ubi recte, ut videtur, Bothius restituit κατα-

τέχνοις. Automedontem enim ex parte saltem Philodemum imitatum esse arguit v. 7 γλωττίζει, κνίζει, περιλαμβάνει — 6 multa sunt et improbabilia a viris doctis temptata; quod non ego solum, sed etiam Buechelerus coniecit θύμ' ἐμέ, vix ferri potest, quia sic nemo amator delicias suas adloqui solebat: Caelia apud Martialem (X 68) κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου *congerit usque.* Praeterea autem ut aptus paretur transitus ad versum 7 videtur mihi oscum potius vocabulum latere vel graecum osce corruptum; frustra vero quem interrogavi Franciscus Buecheler tale vocabulum se circumspexisse respondit. Alia igitur quaerenda – 7 acuminis ratio satis frequentata poetis, velut Asclepiades A. P. V 210 εἰ δὲ μέλαινα, τί τοῦτο; καὶ ἄνθρακες· ἀλλ' ὅτ' ἐκείνους θάλψωμεν, λάμπουσ' ὡς ῥόδεαι κάλυκες, Vergilius bucol. X 33 *quid tum si fuscus Amyntas? et nigrae violae sunt et vaccinia nigra*, Sapphus epistulae v. 35 sq. *candida si non sum, placuit Cepheia Perseo Andromede patriae fusca colore suae.* Ipsa verba quid significent minus exploratum est. Hoc ante omnia certum puto, nomen puellae Floram fuisse (nam nihil tribuendum lemmatistae adnotanti εἰς τὴν αὐτὴν Ξανθίππην, ad quam spectat quod praecedit epigramma), sed procul habenda inscita Heckeri coniectura εἰ δ' Ὀπικὴ παῖς Φλῶρα. Proxime ad verum accessit Huetius, qui dubitanter proposuit φλαῦρα; quod ita accipio ut et nomen proprium retineam et traditam formam: notus est Mestrius ille Florus quem cum ipse Vespasianum Caesarem vetuisset *plostrum* dicere pro *plaustro*, postero die imperator *Flaurum* appellavit pro *Floro.* Iocatur igitur Philodemus in nomine, sicut fecit etiam Leonidas in Meinekii delectu p. 39 epigr. 61: Εὔθυμος ὢν ἔρεσσε τὴν ἐπ' Ἀΐδος ἀταρπὸν ἕρπων; item in epitaphio, quod edidi epigr. gr. 615 πᾶσι Φίλητος ἀνήρ, cf. ibid. 502, 11, ubi hoc lusus genere inscite abutitur poeta recentissimus. Quaeritur quid sit φλῶρα sive φλαῦρα: syllabas si metiaris, pluralem formam esse putabis, ut sit hic verborum ordo καὶ φλαῦρα καὶ οὐκ ἄδουσα τὰ Σαπφοῦς, qua ratione omnis perierit lusus; praestat ut Philodemum sumas in lusus gratiam non tam acriter syllabis metiendis institisse: *Flora* nomen brevem habet ultimam, longam φλαύρα adiectivum. Nec illud ad severiorem dicendi legem exigendum erit, quod non facile Φλαῦρος homo graece dicitur nisi ut sit *debilis* vel *turpis adspectu;* neutrum cum illi puellae aptum sit, intellegenda potius Flora *inepte garriens et balbutiens,* utpote Osca; nam ὀπικίζειν i. q. βαρβαρίζειν.

XVI Anth. Pal. V 13 Φιλοδήμου.

Ἑξήκοντα τελεῖ Χαριτὼ λυκαβαντίδας ὥρας,
ἀλλ' ἔτι κυανέων σύρμα μένει πλοκάμων,
κὰν στέρνοις ἔτι κεῖνα τὰ λύγδινα κωνία μαστῶν
ἕστηκεν, μίτρης γυμνὰ περιδρομάδος,
καὶ χρὼς ἀρρυτίδωτος ἔτ' ἀμβροσίην, ἔτι πειθώ,
πᾶς ἔτ' ἀποστάζει μυριάδας χαρίτων.
ἀλλὰ πόθους ὀργῶντας ὅσοι μὴ φεύγετ', ἐρασταί,
δεῦρ' ἴτε τῆς ἐτέων ληθόμενοι δεκάδος.

V. 3 κέν codex, κὴν Brunck — 4 μίτρη περιδρομάς i. q. περίδεσμος cf. Luciani dial. meretr. 12, 1 ἡ δὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μαστῶν (scil. τὸ μῆλον) ὑπὸ τῷ περιδέσμῳ (sic scribendum enim ex Aristaeneti ep. I 25, qui Luciani verba ad litteram paene transcripsit; edidit tamen Iaco-

bitzius insanam codicum lectionem ἀποδέσμῳ) παρεβύσατο. Cf. etiam corruptum Callimachi epigramma 38 ed. Wil. — 6 πᾶσαν ἔτι στάζει codex, cuius in margine γρ. ἀποστάζει scriptum est; πᾶσας ἐπιστάζει Plan. Correctori Palatino utique parendum est, non tamen ita ut cum Passovio ἔτι πειθὼ πᾶσαν ἀποστάζει scribamus, qua ratióne nec πᾶς adiectivum suam sibi vim habet et misere claudicat tertium membrum μυριάδας χαρίτων. Itaque paullo aliter correxi, ut et πᾶς eleganter tertio in membro positum ei cui debebat substantivo χρώς redderetur et ἔτι particula plane necessaria servaretur simulque ex correctoris fide verbum sententiae proprium restitueretur, cf. Pind. Isthm. III extr. τερπνὰν ἀποστάζων χάριν et ipse Philodemus mus. I fr. 66 p. 49 ed. K. διὰ δὲ μ[έλος αὐτ]ὸ καὶ γλυκύτητα τοῖς [ὅλο]ις οὐδὲν ἀποστάζοντες τῶν τοιούτων, etsi horum verborum non certa est lectio — 7 φλέγετ' ἐρασταί corr. Salmasius – 3 τῆς δεκάδος i. e. eius quae v. 1 memoratur. Similiter hoc nomine usus erat Callimachus fr. 489 παῖς ἄτε· τῶν δ' ἐτέων ἡ δεκὰς οὐκ ὀλίγη, ubi quod Schneiderus Hephaestionis codicibus obsecutus παίσατε scripsit, quamquam Gaisfordius iam verum dederat, non videtur cum cura legisse quae Diltheius exposuit Cydipp. p. 101 adn. Apertum enim est Callimachi locum satis diligenter expressisse Agathiam A. P. V 282:

Ἡ ῥαδινὴ Μελίτη τανκοῦ ἐπὶ γήραος οὐδῷ
  τὴν ἀπὸ τῆς ἥβης οὐκ ἀπέθηκε χάριν,
ἀλλ' ἔτι μαρμαίρουσι παρηίδες, ὄμμα δὲ θέλγειν
  οὐ λάθε· τῶν δ' ἐτέων ἡ δεκὰς οὐκ ὀλίγη·
μίμνει καὶ τὸ φρύαγμα τὸ παιδικόν· ἐνθάδε δ' ἔγνων
  ὅττι φύσιν νικᾶν ὁ χρόνος οὐ δύναται.

Ex Callimacho colorem certe duxit etiam Philodemus.

XVII Anth. Pal. V 120 Φιλοδήμου.

Καὶ νυκτὸς μεσάτης τὸν ἐμὸν κλέψασα σύνευνον
  ἦλθον καὶ πυκινῇ τεγγομένη ψακάδι·
τοὔνεκ' ἐν ἀπρήκτοισι καθήμεθα κοὐχὶ λαλεῦντες
  εὕδομεν ὡς εὕδειν τοῖς φιλέουσι θέμις;

V. 3. Salmasium ita offendit ut coniceret τοὔνεκεν ἄπρηκτοι κατακείμεθα similique scrupulo permotus Heckerus ἐπ' ἀπρήκτοισι corrigebat. Pulcrum illud et proprium verbum καθῆσθαι non patiar eripi poetae, cf. Demosth. Olynth. 2, 23 οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα, ut taceam amantes hoc loco non iacere sed sedere. Heckerus autem quid sua sibi coniectura lucratus esse videatur non perspicio; καθῆσθαι ἐπὶ θρόνῳ dici potest aliquis, potest etiam iudex dici καθῆσθαι ἐπὶ τῷ κρίνειν (Plat. apol. p. 35 c), sed ἐπ' ἀπρήκτοισι καθῆσθαι quid sit nescio; videtur itaque neque Heckerus neque qui illi adstipulatur Duebnerus neque reliquorum quisquam poetae sensum cepisse. Ἄπρηκτος vocabulum rei Venereae proprium de eis ponitur qui aut nolunt aut non possunt; iam vero ἐν δικασταῖς εἶναι vel ἀριθμεῖσθαι satis notum est dicendi genus, quidni igitur hoc voluisse poetam putabimus *cur igitur in otiosorum numero sedemus*

particula denique ἄρα, quam Iacobsius desideraverat, laudarem si legeretur, ut tamen mutem tradita verba non adducor; falso certe Iacobsius τοὔνεκ' ἐν ἀπρήκτοις ἄρα κείμεθα. Quae praeterea in hoc disticho periclitati sunt viri docti participio λαλεῦντες maxime offensi praetereo; nam plana et integra videntur omnia. Per noctis obscuritatem perque tempestatis saevitiam venit mulier ad poetam; illius tamen animus tristis forte et curis distractus nec ad confabulandum nec ad voluptatem ferebatur; itaque mulier *quidni fabulare*, inquit, *quidni cubas mecum, ut decet amantes cubare.* Minime igitur λαλεῖν verbum spectat ad blandas voces iucundaque murmura quaeque non cessant nec tacent mediis improba verba iocis, ut ait Ovidius art. am. III 795.

XVIII Anth. Pal. V 306 Φιλοδήμου.

Δακρύεις, ἐλεεινὰ λαλεῖς, περίεργα θεωρεῖς,
ζηλοτυπεῖς, ἅπτῃ πολλάκι, πυκνὰ φιλεῖς·
ταῦτα μέν ἐστιν ἐρῶντος· ὅταν δ' εἴπω 'παράκειμαι'
† καί σὺ μένεις †, ἁπλῶς οὐδὲν ἐρῶντος ἔχεις.

V. 4 codicis scriptura corrupta. Verbum μένειν significat *loco non moveri* velut apud Theocritum Hieronis v. 106 ἄκλητος μὲν ἔγωγε μένοιμί κεν (cf. Vahlen Hermae X 459; vitium traxit Theognidis versus 351); difficilius erit ita interpretari ut fecit Iacobsius *tu autem iners iaces.* Sed ut sic graece dici possit (dubitavit postea ipse Iacobsius et coniecit καὶ σὺ μένεις ἄλλως), tamen sententia apta non est: non enim tristis ac morosi hominis qui ab amoris gaudiis alienus sit imago informatur vv. 1. 2, sed potius libidinosi et excitati Veneris stimulis; non tardus ille et segnis iacet, sed in lacrimas in preces in oscula effusus agitatur spectat tangit. Laudat haec puella, quid tandem gravatur? Meinekius et Piccolus hoc dicto opus non esse arbitrati alter ὅταν δ' εἴπω 'παράκειμαι καὶ σύ μ' ἔχεις' coniecit, Piccolus haud paullo elegantius ὅταν δ' εἴπω 'παράκειμαι', κἂν σὺ μανῇς proposuit. Sed necessarium puto dici quid ille aut fecerit aut non fecerit, quod puella gravetur; et quidem tale quid illi acciderit oportet quale homini inani libidine excitato accidere potest. Longius hoc persequi taedet; proponam verba leni mutatione correcta ὅταν δ' εἴπω 'παράκειμαι' κἀσθμαίνῃς; scriptum hoc fuit ΚΑΙϹΘΜΕΝΗϹ, cf. Anytes epigr. A. P. IX 313 ἀσθμαίνοντα πόνοις φίλα γυῖα.

XIX Anth. Pal. V 112 Φιλοδήμου.

Ἠράσθην· τίς δ' οὐχί; κεκώμακα· τίς δ' ἀμύητος
κώμων; ἀλλ' ἐμάνην· ἐκ τίνος; οὐχὶ θεοῦ;
ἐρρίφθω· πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης
θρὶξ ἤδη, συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης.
καὶ παίζειν ὅτε καιρὸς ἐπαίξαμεν, ἡνίκα καὶ νῦν
οὐκέτι, λωιτέρης φροντίδος ἁψόμεθα.

Contrariam curam agitat Meleager A. P. XII 117, ut tamen Philodemus ab illo orationis colorem mutuatus esse videri possit:

Βεβλήσθω κύβος· ἅπτε· πορεύσομαι· ἠνίδε, τόλμα·
οἰνοβαρές, τίν' ἔχεις φροντίδα; κωμάσομαι·
κωμάσομαι· ποῖ, θυμέ, τρέπῃ; τί δ' ἔρωτι λογισμός·
ἅπτε τάχος· ποῦ δ' ἡ πρόσθε λόγων μελέτη;
ἐρρίφθω σοφίας ὁ πολὺς πόνος· ἓν μόνον οἶδα
τοῦθ' ὅτι καὶ Ζηνὸς λῆμα καθεῖλεν Ἔρως.

V. 5 adnotat recte Iacobsius '*iunge* καὶ νῦν ἡνίκα οὐκέτι καιρός'. Audacissimam verborum collocationem cave coniciendo sollicites; firmatur enim duplici particula καί — 6 λωοτέρης Planudes.

XX Anth. Pal. XI 30 Φιλοδήμου.

Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ πέντε καὶ ἐννέα, νῦν, Ἀφροδίτη,
ἓν μόλις ἐκ πρώτης νυκτὸς ἐς ἠέλιον·
οἴμοι καί ποτε τοῦτο κατὰ βραχὺ (πολλάκι δ' ἤδη
ἡμιθανές) θνήσκει· τοῦτο τὸ Τερμέριον.
ὦ γῆρας, γῆρας, τί ποθ' ὕστερον ἢν ἀφίκηαι
ποιήσεις, ὅτε νῦν ὧδε μαραινόμεθα.

Hinc ducta tota fere Ovidii elegia amor. III 7, unde haec potissimum transcribam: vv. 23 sqq. *at nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho, ter Libas officio continuata meo est; exigere a nobis angusta nocte Corinnam me memini numeros sustinuisse novem* et vv. 65 sq. *nostra tamen iacuere velut praemortua membra turpiter, hesterna languidiora rosa* et maxime vv. 17 sq. *quae mihi ventura est, siquidem ventura, senectus, cum desit numeris ipsa iuventa suis.* Non solum brevior, ut par est, sed etiam verecundior longe Philodemus, ut v. 1. 2 docet verbum omissum. Cavebimus igitur ne spurca vocabula inferamus secundo disticho corrupto et impedito. Codex habet v. 3 οἴμοι καὶ τοῦτο καταβραχύ, quod distincta gravius oratione post βραχύ corrigunt cum Iacobsio οἴμοι καὶ τοῦτ' αὐτὸ κατὰ βραχύ (antea idem οἴμοι καὶ τοῦτ' αὐτὸ μάλα βραδύ), qui ita explicat *et illud unum temporis momento exiguo*, sententiam vix Martiali aut M. Argentario dignam. Apertum est unum illud (v. 2) quippe addito iam μόλις adverbio non posse etiam magis restringi, apertum non minus est κατὰ βραχύ esse i. q. *paullatim*, apertum denique primi distichi sententiam ita esse absolutam ut nihil iam adici possit. Itaque cum nova ab οἴμοι vocabulo incipiat sententia, hanc apparet non verbis κατὰ βραχύ terminari et confici; porro cum ea quae secuntur πολλάκι δ' ἤδη ἡμιθανὲς θνήσκει non prius recte dicta sint quam ὅλον simileve vocabulum addideris (nam quae coniecerunt ἡμιφανές vel ἡμιτανές spurca sunt ideoque non toleranda), facilis est suspicio hoc membrum mutilum cum eo quod antecedit eoque non magis integro coniungendum esse in unum, ut hic evadat sensus οἴμοι, καὶ τοῦτο κατὰ βραχὺ ἀποθνήσκει· πολλάκις γὰρ ἤδη ἡμιθανές. Restat primum ut numeris mancis consulamus: addidi v. 3 ποτέ adverbium sententiae aptum, quod facile ante τοῦτο intercidere poterat; deinde ut subiectum quale fuerit quaeramus. Et hoc in codicis verbis depravatis τοῦτο τὸ τερμόριον latere existimaverunt: procul habendi ei sunt qui proprium membri nomen restituebant velut Brunckius qui praeter alia coniecit τοῦτο τὸ τερμόνιον, memor fortasse Martialis XI 51 *tanta est quae Titio co-*

lumna pendet, quantum Lampsaciae colunt puellae, vel Graefius qui non illepide iudice Duebnero suspicatus est τοῦθ' ὅτι περ μόριον. Haec igitur ut omnes elegantioris iudicii poetae ita etiam Philodemus evitasse censendus est; nam ut mittam Stratones Martiales alios, ut mittam poetas Priapeorum (sed vel in his unus subpudicus Tibullus c. 82 ed. Buech.), ne Petronius quidem suo nomine rem turpem appellare passus est aut Polyaenum aut Circen c. 129. 130 (illa enim scribit *negant medici sine nervis homines ambulare posse,* Polyaenus non se sed instrumenta peccasse verecundius rescribit), et Ovidius ipse *pars pessima nostri* dixit, Ovidii autem imitatores anonymus alter (A. P. XII 216) νῦν ὀρθή, κατάρατε scripsit substantivo non addito, alter Scythinus (A. P. XII 232) quamvis spurcus homo et rusticus tamen huic membro nomen negavit ὀρθὸν νῦν ἕστηκας, ἀνώνυμον. Has igitur sordes prudenter evitavit Pauvius, qui proverbii memor scripsit τοῦτο τὸ τερμέριον (cf. paroemiogr. I 162 et II 215 adnot.). Sed potuit fortasse poeta suam calamitatem Τερμέριον κακόν appellare, non potuit membrum ipsum; aliter enim poeta Priap. 83 v. 19 *at o sceleste penis, o meum malum.* Itaque si membrum utique his verbis notatum esse credas, tale quid quaeras oportet quale in re diversa posuit Strato A. P. XII 191 οὐκ ἐχθὲς παῖς ἦσθα καὶ οὐδ' ὄναρ οὗτος ὁ πώγων ἤλυθε; πῶς ἀνέβη τοῦτο τὸ δαιμόνιον, sed nihil inveniri potest quod probare velis. At quaeso estne vero necessarium ut hac via salutem quaeramus; nonne satis superque poeta pronomine usus τοῦτο et verbo θνήσκειν (cf. Scythinus A. P. XII 232 νεκρὸν ἀπεκρέμασο et Ovidii *praemortua membra*) significavit quid vellet! Itaque persuasum mihi est post θνήσκει gravius interpungendum esse, scriboque Pauvii invento usus τοῦτο τὸ Τερμέριον i. e. *iam ego vere patior Termerium illud malum.* Nam non quodvis malum est Termerium sed quod quis ea corporis parte patitur qua antea peccaverat, cf. Plut. Thesei vit. c. 11 τὸν Τέρμερον συρρήξας τὴν κεφαλὴν ἀπέκτεινεν· ἀφ' οὗ δὴ τὸ Τερμέριον κακὸν ὀνομασθῆναι λέγουσιν· παίων γάρ, ὡς ἔοικε, κεφαλῇ τοὺς ἐντυγχάνοντας ὁ Τέρμερος ἀπώλλυεν.

XXI Anth. Pal. VII 222 Φιλοδήμου. De fide lemmatis dubitandi ansa non datur, nisi quod argumentum indolesque carminis ab Philodemo aliena videntur.

Ἐνθάδε τῆς τρυφερῆς μαλακὸν ῥέθος, ἐνθάδε κεῖται
    Τρυγόνιον, σαβακῶν ἄνθεμα Σαλμακίδων·
ἧ καλύβη καὶ δοῦπος ἐνέπρεπεν, ἧ φιλοπαίγμων
    στωμυλίη, μήτηρ ἣν ἐφίλησε θεῶν,
ἡ μούνη στέρξασα τὰ Κύπριδος ἀμφὶ γυναικῶν
    ὄργια καὶ φίλτρων Λαΐδος ἁψαμένη·
φῦε κατὰ στήλης, ἱερὴ κόνι, τῇ φιλοβάκχῳ
    μὴ βατόν, ἀλλ' ἁπαλὰς λευκοΐων κάλυκας.

V. 1 redii ad codicis scripturam, quae eadem Planudea est, τρυφερῆς; edebatur ex Suida s. v. ῥέθος tamquam nomen puellae Τρυφέρας. Sed Τρυγόνιον (edunt τρυγόνιον) nisi nomen esset, non sane sine adiectivo posuisset poeta; addo quod vocabulum ἄνθεμα (i. q. ἄγαλμα, cf. supra ad n. XII) aptius ipsi nomini additur, addo quod parum eleganter si Τρυφέρας legas articulo oneratur nomen, eleganter autem animi vitaeque indoles (τῆς τρυφερῆς) coniunguntur cum corporis mollitate *molliculae illius delicatum corpus* — 2 σαβακός i. q. σαθρός cf. Hes. s. v. —

σαλμακίδων τουτέστιν ἑταιρῶν Suid. Cf. Ovid. met. IV 286 et Festus p. 329 M. *Salmacis nomine nympha Caeli et Terrae filia fertur causa fontis Halicarnasi aquae appellandae fuisse Salmacidis, quam qui bibisset vitio inpudicitiae mollesceret, ob eam rem quod eius aditus angustatus parietibus occasionem largitur iuvenibus petulantibus antecedentium puerorum puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Ennius 'Salmacida spolia sine sanguine et sudore'* (legendum *sine sudore et sanguine*, cf. Cic. off. I 18, 61. Enn. trag. fr. 338) — 3 exhibui vulgatam scripturam quamvis mihi non probabilem. Codex habet καὶ δοῦμος, Salmasius correxit καὶ δοῦπος, Toupius καὶ κῶμος. Dubito vero vehementer, num dici possit ἡ καλύβη αὐτῇ ἐνέπρεπεν, si quidem recte καλύβην interpretantur *aediculam* s. *thalamum* Matris deorum; dicitur aliquis ἐν ὅπλοις vel βάκχαις ἐμπρέπειν, dicitur item ἐμπρέπειν τινὶ χρυσός vel κάλλος, itaque conicio ᾗ καλύβῃ ἐνέπρεπεν, quo simul alia tollitur difficultas: nam v. 5 casus nominativus, cum antecedant dativi duo ᾗ et accusativus unus ἥν, non habet quo apte referatur. Tertium distichon si locum mutaret cum secundo, nihil esset offensionis; eo tamen quo tradita sunt ordine intolerabile est hyperbaton. Igitur si verum illud est ᾗ καλύβῃ ἐνέπρεπεν, gravius mendum latet in verbis καὶ δοῦμος. Dativus cum καλύβῃ coniunctus quoniam non potest fuisse (nam faceret hic hiatum vitiosum), sequitur ut adiectivum quaeramus ad ipsum subiectum i. e. ad Trygonium referendum; venit in mentem κλειδοῦχος, quod vocabulum notum est quam late pateat. Tum reliqua sic scribenda ᾗ φιλοπαίγμων στωμυλίῃ scil. ἐνέπρεπε, ut iam aequabili arte adiectiva κλειδοῦχος et φιλοπαίγμων, dativi καλύβῃ et στωμυλίῃ inter se respondeant; utraque laus effecit, ut dea illam diligeret μήτηρ ἣν ἐφίλησε θεῶν. Sed haec nimis incerta quam ut in eis adquiescas — 5 recte explicavit Diltheius ind. schol. Gotting. aest. 1878 p. 12 ita: *postposita est* ἀμφί *praepositio nomini suo, quod est* Κύπριδος, *et quoniam illa secundum grammaticorum veterum praecepta anabibasis expers accentu traiecto anastrophen indicare recusat, ne is quidem mutandus est.* Simili ratione ab inanibus coniecturis vindicabo Anytae quod fertur epigramma A. P. VII 215, ubi delphinus mortuus loquitur οὐδὲ περὶ σκαρθμοῖσι (sic Suidae libri optimi; σκαλμοῖσι cod. Anthol.) νεὼς περικαλλέα χείλη ποιφύξω τἀμῇ τερπόμενος προτομῇ. Iungenda περί praepositio cum accusativo χείλη.

XXII Anth. Pal. XI 44 Φιλοδήμου.

Αὔριον εἰς λειτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
 ἐξ ἐνάτης ἕλκει μουσοφιλὴς ἕταρος
εἰκάδα δειπνίζων ἐνιαύσιον· εἰ δ' ἀπολείψεις
 οὔθατα καὶ Βρομίου Χιογενῆ πρόποσιν,
ἀλλ' ἑτάρους ὄψει παναληθέας, ἀλλ' ἐπακούσῃ
 Φαιήκων γαίης πουλὺ μελιχρότερα·
ἢν δέ ποτε στρέψῃς καὶ ἐς ἡμέας ὄμματα, Πείσων,
 ἄξομεν ἐκ λειτῆς εἰκάδα πιοτέρην.

De Epicuri die natali quotannis agendo mense Gamelione cf. Cic. de fin II 101 — V. 1 et 8 λιτήν et λιτῆς codex; utrubique correxi. Diphthongum ει, quam et libri scripti et tituli multis exemplis servarunt, postulat ipsius vocabuli originatio (cf. λεαίνω, λεῖος) — ἕταρις codex, correxit vir doctus Neapolitanus libri Philodemei de musica editor; de emendationis veritate non

videtur dubitandum — 3 ἀπολείψῃς codex, corr. Brunck. Verbum scrupulos movit Iacobsio, qui scribendum putabat ἀπολείψει — Διογενὴς πρόποσις; sed simillime ipse Philodemus περὶ εὐσεβείας p. 84, 10 Gomp. πάντες οὖν οἱ ἀπὸ Ζήνωνος εἰ καὶ ἀπέλειπον τὸ δαιμόνιον i. e. *etiamsi praetermittebant* vel *deserebant*. Domi si cenaret Piso summa et Chia vina habiturum, esse ait; talia sibi suisque non praesto esse — 5 ὄψει et ἐπακούσῃ codicis inconstantiam retinui — 6 genetivus audacissimae brevitatis ἢ τὰ κατὰ τὴν Φαιάκων γῆν — 7 sq. nemodum ita explicavit ut sana constaret sententia; cum Iacobsio enim, ut aliorum taceam errores, poetam dixisse opinantur, si Piso placidis oculis se adspexisset non iam tenues sed amplas epulas esse futuras. Quod si verum esset, et ποτέ delendum et ἀντὶ λειτῆς et πιοτάτην scribendum foret. Immo hoc precatur Philodemus, adiuvet Piso ut tot aliorum sic etiam suas res angustas, quo facto fore ut proximum festum lautius agant. Ea igitur oris licentia utitur philosophus erga patronum, qua semper adversus deos Graeci uti solebant, velut Apollonides A. P. VI 238 tenuia dona excusans εἰ δὲ διδοίης πλείονα, καὶ πολλῶν, δαῖμον, ἀπαρξόμεθα.

XXIII Anth. Pal IX 412 Φιλοδήμου.

Ἤδη καὶ ῥόδον ἐστὶ καὶ ἀκμάζων ἐρέβινθος,
καὶ καυλοὶ κράμβης, Σωσύλε, πρωτοτόμου
καὶ μαινὶς γλαγόωσα καὶ ἀρτιπαγὴς ἁλὶ τυρός
καὶ θριδάκων οὔλων ἀβροφυῆ πέταλα·
ἡμεῖς δ' οὔτ' ἀκτῆς ἐπιβαίνομεν οὔτ' ἐν ἀπόψει
γινόμεθ', ὡς αἰεί, Σωσύλε, τὸ πρότερον·
καὶ μὴν Ἀντιγένης καὶ Βάκχιος ἐχθὲς ἔπαιζον,
νῦν δ' αὐτοὺς θάψαι σήμερον ἐκφέρομεν.

V. 1 ἀκμάζων participium ἀπὸ κοινοῦ positum pariter ad ῥόδον atque ad ἐρέβινθον pertinet; inde vero ab v. 2 usque ad v. 4 supplendum videtur ἔστιν · 2 καυλοῖο codex, corr. Planudes — 3 μαίνῃ ζαλαγεῦσα codex; sensum recte perspexit scholiasta Wechelianus, nisi quod inepte coniecit ζαγλαγεῦσα i. e. ἀπὸ τοῦ ζα ἐπιτατικοῦ μορίου καὶ τοῦ γλάγος. Verno tempore maenam lactibus abundare consentaneum; huius rei et in plantis et in piscibus proprium verbum est γλαγᾶν, cf. A. P. IX 384 γλαγόωντι σπέρματι. Itaque scripsi γλαγόωσα et praeterea solitam μαινίς formam reposui — ἁλὶ τυρός scripsi, legebatur ἁλίτυρος; cf. Columella VII 8 de caseo conficiendo *et rursus torrido sale contingitur*, idemque XII 57 *caseum recentem et salsum* — 4 ἀφροφυῆ codex, corr. Meinekius — 5 solebat poeta cum sodalibus certo quodam litoris loco unde mare prospiciebatur veris initium sollemnibus epulis celebrare. Nunc vero Sosylo amico scribit cenam fieri non posse causa addita vv. 7. 8 *et profecto est cur non cenemus, nam Antigenes et Bacchius* (pueri opinor), *heri qui vita fruebantur, hodie mortui nobis sepeliendi sunt.* Mira est Iacobsii interpretatio Duebnero probata, qui interrogandi signo v. 6 post τὸ πρότερον posito sic intellegit: *quid est igitur quod non epulemur? ipsa vitae brevitas et rerum vicissitudines nos admonent ut ne fruendi opportunitatem nobis patiamur elabi*, exempla fragilitatis humanae Antigenem et Bacchium afferri existimans. Haec non Horatii, ut putat Duebnerus, sed ne barbarorum quidem philosophia est — 7 sq. colorem hi versus duxerunt ex Callimachi carmine ep. XIV Wil. καὶ σέ, Χάρμι τὸν

ὀφθαλμοῖς χθιζὸν ἐν ἡμετέροις τῇ ἑτέρῃ κλαύσαντες ἐθάπτομεν similiterque alii multi (cf. etiam Nicetae Eugen. IX 54 sqq.) -- 8 aliquando putaveram σὺν δέ scribendum esse pro νῦν δέ; sed tradita sana sunt, modo sumas non temporalem esse particulam, sed adversativam, ut saepe.

XXIV Anth. Pal. VI 349 Φιλοδήμου.

'Ινοῦς ὦ Μελικέρτα σύ τε Γλαύκης μεδέουσα
 Λευκοθέη, πόντου δαίμον' ἀλεξικάκω,
Νηρήδων τε χοροὶ καὶ κύματα καὶ σύ, Πόσειδον,
 καὶ Θρηΐξ, ἀνέμων πρηύτατε, Ζέφυρε,
ἵλαοί με φέροιτε, διὰ πλατὺ κῦμα φυγόντα,
 σῷον ἐπὶ γλυκερὴν ἠόνα Πειραέως

V. 1. 2 σύ τε γλαυκὴ μεδέουσα Λευκοθέη πόντου, δαῖμον ἀλεξίκακε codex, in quibus dualem δαῖμον ἀλεξικάκω restituit Schaeferus, reliqua ego correxi Hermae vol. XV p. 460 — 6 ἐπὶ γλυκὺν codex, correxit Dorvillius.

Praeter haec quae proposui Philodemi epigrammata alia olim fuerunt nunc deperdita; e quibus unum videtur Horatio obversatum esse sat. I 2, 120:

illam 'post paullo; sed pluris; si exierit vir'
Gallis, hanc Philodemus ait sibi quae neque magno
stet pretio neque cunctetur, cum est iussa venire.

Notari his versibus putant inficetissimum epigramma quod Philodemi nomine inscriptum legitur Anth. Pal. V 126:

Πέντε δίδωσιν ἑνὸς τῇ δεῖνα ὁ δεῖνα τάλαντα
 καὶ βινεῖ φρίσσων καὶ μὰ τὸν οὐδὲ καλήν·
πέντε δ' ἐγὼ δραχμὰς τῶν δώδεκα Λυσιανάσσῃ,
 καὶ βινῶ πρὸς τῷ κρείσσονα καὶ φανερῶς·
πάντως ἤτοι ἐγὼ φρένας οὐκ ἔχω, ἢ τό γε λοιπόν
 τοὺς κείνου πελέκει δεῖ διδύμους ἀφελεῖν.

sed ut taceam argumentum diversum esse, non potest Philodemo tribui tam ineptum, tam spurcum dicendi genus, non possunt tot numerorum sordes illi iniungi. Videntur potius haec ad Horatii similitudinem inscite efficta esse ab poeta centum fere annis recentiori; ex Horatii certe sat. I 2, 43 extrema sumpta sunt *quin etiam illud accidit ut cuidam testes caudamque salacem demeteret ferrum.* Contra novicium est atque indignum quod hoc loco proponam opusculum vilissimum, quod non in codice Palatino sed in apographo Lipsiensi et in schedis Lacrozianis traditum hac ipsa re arguitur saeculo XVII non esse antiquius. Suspicionem movit primus Chardon de la Rochette, cui miror quod Iacobsius oblocutus est (anth. gr. VIII 218 n. 9), elegans iudicans epigramma esse nec vetere poeta indignum. Horatio duce fictum esse extremum distichon docet εἰ δὲ μίαν ταύταιν, Πεῖσον, μ' αἱρεῖν ἐπιτέλλεις, εἰν 'Εφύρῃ μίμνω, τὴν δ' ἄρα Γάλλος ἔχοι.

Alienum ab Philodemo est epigramma irrisorium Anth. Pal. XI 318:

Ἀντικράτης ᾔδει τὰ σφαιρικὰ μᾶλλον Ἀράτου
πολλῷ, τὴν δ' ἰδίην οὐκ ἐνόει γένεσιν·
διστάζειν γὰρ ἔφη, πότερ' ἐν κριῷ γεγένηται
ἢ διδύμοις ἢ τοῖς ἰχθύσιν ἀμφοτέροις.
εὕρηται δὲ σαφῶς ἐν τοῖς τρισί· καὶ γὰρ ὀχευτὴς
καὶ μωρὸς μαλακός τ' ἐστὶ καὶ ὀψοφάγος.

Recte Planudes inscripsit ἄδηλον.

Idem dicendum de carmine Anth. Pal. X 103:

Τὴν πρότερον θυμέλην μήτ' ἔμβλεπε μήτε παρέλθῃς·
νῦν ἄπαγε δραχμῆς εἰς κολοκορδόκολα,
καὶ σῦκον δραχμῆς ἓν γίνεται· ἢν δ' ἀναμείνῃς,
χίλια· τοῖς πτωχοῖς ὁ χρόνος ἐστὶ θεός.

cuius etsi prius distichon plane non intellego, sententia tamen ex altero plana est. Codex Palatinus Φιλοδήμου inscribit, rectius Planudes ἄδηλον.

Anth. Pal. VI 246 Φιλοδήμου, οἱ δὲ Ἀργενταρίου cod. Pal. Φιλοδήμου Planudes. Fuit in Philippi corona.

Κέντρα διωξικέλευθα φιλορρώθωνά τε κημόν
τόν τε περὶ στέρνοις κόσμον ὀδοντοτρόφον
κοίσυίνην . . ῥάβδον ἐπὶ προθύροισι, Πόσειδον,
ἄνθετό σοι νίκης Χάρμος ἀπ' Ἰσθμιάδος
καὶ ψήκτρην ἵππων ἐρυσίτριχα τήν τ' ἐπὶ νώτων
μάστιγα, ῥοίζου μητέρα θαρσαλέην.
ἀλλὰ σύ, κυανοχαῖτα, δέχευ τάδε, τὸν δὲ Λυκίνου
υἷα καὶ εἰς μεγάλην στέψον Ὀλυμπιάδα.

V. 3 καὶ συίνην codex Pal. et Planudes, corr. Salmasius. Lacunae explendae causa δ' ἔτι, Eldickius, ἔτι Iacobsius addidit — Argumentum carminis ab Philodemo alienum; M. Argentarii potest esse, sed praestat cohibere iudicium.

Anthol. Planud. 234 Φιλοδήμου. At nec demonstrativo generi credo Philodemum operam dedisse et suspectae sunt formae doricae vv. 1 et 2.

Τρισσοὺς ἀθανάτους χωρεῖ λίθος· ἁ κεφαλὰ γάρ
μανύει τρανῶς Πᾶνα τὸν αἰγίκερων,
στέρνα δὲ καὶ νηδὺς Ἡρακλέα, λοιπὰ δὲ μηρῶν
καὶ κνήμης Ἑρμῆς ὁ πτερόπους ἔλαχεν.
θύειν ἀρνήσῃ, ξένε, μηκέτι· τοῦ γὰρ ἑνός σοι
θύματος οἱ τρισσοὶ δαίμονες ἁπτόμεθα.

V. 6 male Heckerus ἀντόμεθα collato epigrammate Anth. Plan. 253 plane alieno; non commemorarem nisi Duebnerum viderem Heckero obsecutum.

Anth. Pal. XI 35 τοῦ αὐτοῦ i. e. Philodemi, cuius esse non potest epigramma ad Philodemi imitationem factum; nomen poetae coniectura ex v. 3 repetitum.

Κράμβην Ἀρτεμίδωρος, Ἀρίσταρχος δὲ τάριχον,
βολβίσκους δ' ἡμῖν δῶκεν Ἀθηναγόρας,
ἡπάτιον Φιλόδημος, Ἀπολλοφάνης δὲ δύο μνᾶς
χοιρείου, καὶ τρεῖς ἦσαν ἀπ' ἐχθὲς ἔτι·
ᾠὸν καὶ στεφάνους καὶ σάμβαλα καὶ μύρον ἡμῖν
λάμβανε, καὶ δεκάτης εὐθὺ θέλω παράγειν.

V. 3 μνάς codex — 5 στέφανος codex, corr. Reiskius; reliqua dedi qualia exhibet codex Palatinus, ubi pro singulari ovo praestat fortasse ᾠὰ δέ, σάμβαλα quid sibi velint nescio, quoniam non foras poetam conare velle apertum est. Corruptum versum sextum non sanavit Meinekius (del. p. 198), cum scriberet λάμβανε, παῖ, nam gravior eius rei est difficultas, quod adverbium εὐθύ et legitima cenae hora decima iuxta posita sunt; cf. Philodemi epigr. supra n. I πηνίκα δ' ἥξεις; ἣν σὺ θέλεις ὥρην· εὐθὺ θέλω· πρόαγε. Intellegerem versiculum sic scriptum κοὐ δεκάτης, εἰθὺ θέλω παράγειν, sed integra poetae verba ne sic quidem restituta videntur.

Errore denique factum est ut epigramma Anth. Pal. V 8, quod ex Meleagri pulcherrimis est, Planudes Philodemo tribueret, neque magis dubitandum quin recte Iacobsius epigramma Anth. Pal. V 24 in Heliodoram scriptum Philodemeis exemerit atque Meleagro restituerit.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

D. H. CREMER, P. P. O. DEC.

I) Publice 1) de scriptura sacra doctrinam tradet semel per hebd. hor. defin.; 2) seminarii theologici exercitationes theologiam dogmaticam spectantes moderari perget die Mart. hor. VI et VII; 3) instituti theologici practici sodalibus praeerit d. Ven. hor. VI et VII. — II) Privatim 1) prolegomena theologiae dogmaticae tradet d. Lun. et Iov. hor. IV; 2) ethicen christianam docebit senis per hebd. scholis hor. XI; 3) de munere ecclesiastico fungendo disseret quinquiens per hebd. hor. X.

D. I. GUIL. HANNE, P. P. O.

